



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Cap. VII. De cultu, quo S. Iosephvs festo eius die affici potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

CAPVT VII.

De cultu, quo S. IOSEPHVS festo illius die potest affici.

LOcus omnino nullus sub celo est, ubi maiori solennitate ac lætitiâ S. IOSEPHI Natalis, quàm in Canadâ Americæ Prouinciâ celebretur: is enim Nouæ Franciæ Pater, Patronus, & præsidium est; & ob hanc causam hîc loci tam festus eius dies habetur. Ita nos litteræ docent, quibus anni 1637. in eâ ditioe gesta enarrantur. Quippe pridie illius Natalis ad tormenti maioris explosi boatum in quodam propugnaculo oppidi, Nebec dicti, defixum vexillum fuit; gubernator deinde illius loci festos ignes tanto artificio factos excitauit, vt pares vix ipsa Gallia viderit. Ex vnâ parte de pactus in terram palus nomen S. IOSEPHI sustinebat, vndique luminibus illustratum; supra quod multæ faces emicuere, vnde octodecim, aut viginti ignita

ignita missilia erraticis ignibus instructa eruperunt, quæ mira in aëre spectacula exhibuere. A tergo noui huius operis quatuordecim maiores pyroboli fuere librati, qui ordine ac per intervalla se insecuti, admiratione Gallos iuxta ac Barbaros compleuere, quorum oculis nihil hactenus fuit simile oblatum. Admirabantur hanc igneam pluuiam, stellasque, ut ipsi credebant, calo delabentes, quæ altissimè proejectæ sensim deciderunt: missilium vero ardentium alia rectâ cælum petebant, alia in arcum sinuata in ipso sui flexu sursum contendebant. Inde non procul paruum castellum eleganti opere factum, diuersisque coloribus ornatum stabat: cuius extrema quatuor turriculis claudebantur, funalibus plena, quæ luce suâ paruum hoc propugnaculū omni ex parte collustrarunt. Circa eam structuram sedecim maiores ignium missilium hastæ erant collocatæ, sulphurati pulueris botulis inpendentibus. In quatuor eius angulis

gulis

gulis quatuor mobiles rotæ agebantur, aliaque maior supra extemporaneam arcem eminebat, quæ circa crucem igneam multis facibus radiantem rotabatur, ut crucem putares tot adamantibus vndequaque scintillantem, Adhæc circa hoc castellum æquali spatio diuisi quatuor capaciores tubi visebantur, è quibus visi sunt centum quinquaginta & sex vagi ignes profillire, senis ad certum temporis dimensum simul explosis; quibus quadraginta octo pyroboli erant immixti, quatuor vicibus expediti. Appetente vespere Gubernator Kebecensis magno ministrorum comitatu cinctus, inspectantibus Barbaris & accolis, qui ex condicto accurrerunt, machinæ iussit ignem subdi. Quo spectaculo permoti Barbari aiebant, S. IOSEPHVM virum utique rarum ac præcipuum esse, quod eius causâ & reuerentiâ mediâ nocte diem tot ignibus efficerent, tantoque apparatu ei honorem haberent. Postridie, qui dies ipsi sacer erat, religio-

ni

ni fuit in templo vacatum; ad quod
tantus fuit accursus, vt Pascha vide-
retur, gratulantibus sibi pijs, eum Tu-
telarem Diuum nouæ Franciæ à Deo
concessum, qui in viuis Tutor & velu-
ti tutelaris Angelus Dei HOMINIS
fuisse.

Ab hoc solenni pioque cultu ad
eum nos modò vertamus, cui dare
operam hodie possimus. Kebecenses
incolæ, ad honorem S. IOSEPHO defe-
rendum pro Diui merito omnes ner-
uos intenderunt; id & nobis agen-
dum, non tam in exteriorem splen-
dorem, etsi cum primis laudandum,
quàm pias actiones intentis, nihilque
pro virium nostrarum modo præter-
mittentibus, quod spectare ad ma-
ximi Diui gloriam, & inde in maxi-
mos animorum fructus redundare po-
rest.

Si vllus est festus dies post Seruato-
ris nostri, eiusque Matris per annum
celebris, quo sperare eximia dona,

omniumque votorum pie conceptorum apud Deum successum possumus, certè hic est. Quà in re S. Terefiæ opinionem sequor, quæ quorannis peculiare munus à S. Iosepho, festo eius die postulauit, eo fructu, vt petita, aut horum loco aliquid melius consequeretur, quòd vel ita magis illi expediret, si quid secus postulasset, vel quòd utile illi non fuisset, eius precibus locum dari. *a* Quo commodo admonemur, summâ, quâ fieri potest, religione hunc diem transigere, & à tam benefico patre exposcere, quidquid ad nostram salutem est magis necessarium.

Sed quâ ratione sanctè vtiliterque Festum hoc transigi potest? sex modos afferam; tu selige, quem voles. Credo autem, te cum Ecclesiâ communem S. Iosephi festum diem habiturû. Quod ad eius desponsationem attinet illa 22. Ianuarij celebratur; eius verò reditus ex Ægypto 7. eiusdem mensis colitur; fuga illuc instituta in 28. Decembris cadit:

a Ex cap. 6. eius vitæ.

cadit : in quâ re satis omnes conueniunt ; eius autem Natalis non pari consensu habetur. Græci memoriam illius postridie Natiuitatis Christi, hoc est 26. Decembris recolunt, vt Cardinalis Baronius in suis Annotationibus ad Martyrologium obseruat. *a* Quidam alij diem eius festum 26. Iunij agunt, nixi Orientalis Historiæ, de quâ suprâ fuimus locuti, auctoritate, quæ mortuum illum tali die affirmat. Nemo tamen hodie dierum istorum rationem habet; sed Ecclesiæ sententiam sequimur, iubentis 19. Martij diem illi sacrum decerni. De hoc igitur die hîc ago, rationesque exquiro, eum ritè colendi : numerum proin' tibi admetior, quem promisi.

I. Festum S. IOSEPHI diem priuatâ pietate colere, si alicubi festus non sit. Hoc RR. PP. Carthusiani obseruant, grato animo beneficia prosequuti, quæ illius patrocínio acceperunt : idem Religiosi viri & feminæ è S. Teresie

G

resie

a Ex Isido, De min. lib. de S. Iosepho cap. 14.

resuæ Instituto faciunt, parentis suæ
 summam in hoc Capite pietatem se-
 ctantes: idem apud RR. PP. Oratorij
 fieri consuevit, quibus nihil ita cordi
 est, quàm IESVM, MARIAM, IOSE-
 PHVM colere: idem Monialibus à B.
 Virg. Elisabetham visitante dictis so-
 lenne est, vt ita & suæ pietati, & au-
 ctoris felicissimæ memoriæ voluntati
 satisfaciant; idem apud Moniales in
 Monasterio Incarnationis receptū est,
 quæ se primis instituti sui initijs Diui
 illius fidei ac clientelæ deuouerunt.

Porro modus hunc diem celebrandi
 est idem, qui solet in cultu aliorum Ce-
 litum adhiberi: pridie illius diei, quo
 Diuum veneramur, ieiunium nobis im-
 peramus; eius gratiâ corpus affligi-
 mus, aut nobis aliunde vim inferimus;
 illius festâ luce SS. Synaxin accedimus,
 ab opere non secus, ac Dominico die
 abstinemus; precibus solito diutius
 vacamus; Sancti illius gesta euoluimus,
 diemque sanctè traducimus, ad omnia
 obsequia prorsus ita prompti, veluti

tu tuum amorem S. Iosepho testatum faceres.

II. Eundem pro insequenti anno peculiarem Patronum sibi deposcere; aut certè, si alium iam delegisses, in grauiori negotio eius patrociniū efflagitare, ac in eum finem per aliquot menses, prout necessitas, aut causæ illius mora & cunctatio exiget, certas sibi ad illum preces iniungere. Ioanna ab Angelis Vrsulina Laudunensis S. Iosephum Kalendis Ianuarijs anni 1636. enixè rogabat, vellet in suam illam præsidium recipere, & à Christo eam gratiam obtinere, vt omnia interiora & exteriora obstacula remouere dignaretur, siue dein à Dæmonum infestationibus, à quibus obsidebatur, eam liberaret, siue à quocunque obice absolueret, qui ab eius amore ac seruitio illam abstraheret. Altera dein nocte, cum obdormisceret, visa est sibi pietate singulari ac simul odore suauissimo, qui longè nostrorum odoramentorum fragrantiam excederet,

diuinitus afflari: eodemque tempore
 vocem audiit, quæ dicebat: Ecce adest
 ille, cui te commendasti: simulque
 mentem illius recordatio S. IOSEPHI
 subiit, quæ fuit maximi amoris & ve-
 merationis, in illum haustæ plena; cla-
 rumque lumen se intueri credidit, So-
 lis luce multò illustrius. In eo splen-
 dore vultum raræ maiestatis, tantaque
 elegantia permixtum conspicata est,
 ut diceret, se verbis destitui ac exem-
 plis, quibus eius pulchritudinem ad-
 umbret. Postremò is Ioannam sic est
 allocutus: Constante in his, quæ pa-
 teris, malis perdura, tuamque in ad-
 uersis mentem diuinæ voluntati con-
 forma, tui penitus oblita; ita enim
 Deo cordi eris; Sacerdoti verò, qui
 Dæmones exorcismis apud te vrget,
 refer, etsi in tui curatione mortalium
 operâ destituaris, Deum probè tibi per
 omnia consulturum: iube illum à te
 non discedere; illius enim adminiculo
 Deum ad fugandum dæmonem, qui
 ceteris pertinaciùs tuam incolumita-
 tam

tem moratur, vsurum. Quibus dictis
 euauit hospes ille, solo illic relicto
 odore, qui aliquamdiu remansit; exi-
 stimante illâ, cum euigilâsset, cubile
 totum fuisse suffitu imbutum. Tota
 exinde illius cogitatio, quæ post som-
 num illi inhaesit, integro sequenti die
 circa collocandam in Deo fiduciam, &
 spem indubitatam ferendi sibi à S. Io-
 sepho in rebus dubijs auxiliij versaba-
 tur. Neque illam expectationem exi-
 tus fefellit: post quinque enim dies,
 festo SS. Trium Regum Patroni à se
 nuper electi opem persensit; quando
 ab eo dæmone, qui eius pietatis cur-
 sum præ cæteris importuniùs retarda-
 bat, fuit penitus deserta. Vbi res me-
 moriâ digna euenit: dum enim in ad-
 stantium coronâ Exorcistes Dæmonem
 pro certo migrationis signo iussit in
 eius Monialis manu MARIÆ nomen
 scribere; Dæmon imperio obsecutus,
 etsi maximè diu reluctaretur, sacrum
 illud Nomen elegantibus litteris mox
 supra S. IOSEPHI nomen exarauit, quod

anteà fuit ab alio Dæmone pro tesserâ
 sui discessûs expressum: quæ bina No-
 mina tam clarè in eius manu etiâm-
 num apparent, quàm primo die eni-
 tuère. Eius rei ipsemet ego cum totâ
 Lugdunensi ciuitate oculatus testis ad-
 fui; quando Religiosa hæc virgo per
 illam urbem commeans Anicium ad
 Magni illius Antistitis Francisci Salesij
 tumbam hac postremâ ætate an. 1638.
 profecta est. Nihil hîc de Nomine Ie-
 sv, & Francisci Salesij loquor, quæ ta-
 men in eiusdem manûs extimâ parte
 eodem modo scripta legebantur;
 quandoquidem ad hoc thema non
 spectat: satis mihi sit, significâsse, ma-
 gnum felicitatis compendium esse, in
 S. IOSEPHI tutelam seu festo eius die,
 seu quouis alio tempore concedere.
 Nunc alio vertamur.

III. S. IOSEPHVM in cultu pietatis
 omnibus Diuis anteferre, aut certè per
 omnem vitam pro singulari Patrono
 deligere: eamque animi sententiam
 annis singulis eius festâ luce renouare.

Novi

Novi è Societate nostrâ virum, huic
piæ consuetudini addictum, qui hoc
ritu quotidie suum decretû restaurat;
& erga S. IOSEPHVM oratione quadam
vtitur illius persimili, quam Sodalita-
tes B. Virg. in nostris domicilijs institu-
tæ publicè illo, quo in cœtum admit-
tuntur, die vsurpant. Non hæc dico,
quòd velim id à te quotidie fieri; for-
san tam frequens vsus quosdam offen-
deret: sed vt saltem in anno semel ite-
retur, cum Diui huius Natalis recurrit;
quod videtur pio S. IOSEPHVM aman-
tium ardori consentaneum. Cum pri-
mùm autè eâ formulâ quis vtetur, apta
hec erit oratio, quâ ille pro tutore &
patrono singulari assumatur: id quod
tunc nouiter fiat, si non antè aliâ qua-
piam occasione ac modo sit actum; se-
quentibus deinde annis dicto die ijs-
dem verbis eâ reuouatio suscipietur.
Oratio illa breuis est; neque hoc loco
mihi est prætereunda, quin apponam:
semper aliqui erunt, qui eius habere
copiam velint, vt vsum sibi ipsius fami-
liarem reddant. Ea formula sic habet.

SANCTE IOSEPH ! *Spes*
Beatissima Virginis MARIE, Ego
N. te hodie in Patronum & Aduocatum
 eligo, firmiterq; statuo ac propono, me nun-
 quam te derelicturum, neque contra te ali-
 quid unquam dicturum, aut facturum ne-
 que permissurum, ut à meis subditis ali-
 quid contra tuum honorem unquam aga-
 tur. Obsecro te igitur, suscipe me in ser-
 uum perpetuum; adsis mihi in actionibus
 omnibus meis; nec me deseras in horâ mor-
 tis. Amen.

Ut autem hæc actio Deo fiat tanto
 acceptior, maioriq; pietatis ac reue-
 rentiæ sensu obeatur, expediet, hoc
 sanctum animi decretum post SS.
 Communionem aut coram Augustis-
 simo Sacramento vel recens concipere,
 vel instaurare.

IV. Sacrum Missæ Officium de S. Io-
 SEPHO procurare. Fragmentum illius
 Orientalis Historiæ, cuius mentio fit
 in libro de laudibus S. IOSEPHI; qui
 fuit Adriano V I. Pont. Max. oblatu-
 s, ac fide dignus habetur, aasserit, IESVM
 morti

a *Isidorus lib. 1. cap. 14.*

morti S. IOSEPHI præsentem, ei bene
fuisse precatum, pollicitumque, ijs se
benedicturum, qui in honorem S. IO-
SEPHI eo die, quo obiisset, Deo sacrifi-
cium obtulissent. Quod verò aliud sa-
crificium nos habemus, quàm S. Missæ?
& quæ maior ac salubrior potest à no-
bis benedictio desiderari, quàm ab
ipso Dei Filio, qui eam promisit, im-
pertita? quæ etsi abessent, maximi ta-
men momenti, & ad S. IOSEPHI glo-
riam procurandam omnium, quæ præ-
stare possumus, dignissimum esset, IESU
CHRISTI sacrificium Deo Patri offer-
re, ob illas tam egregias dotes ac do-
na, quibus eum cumulavit, & ad tan-
tum gloriæ fastigium euexit.

V. Liberaliter in egenos stipem ero-
gare, aut pauperum vni ob S. IOSEPHI
amorem & reuerentiam mensam in-
struere. Si quis insuper aut stipem
præbere, aut mensæ adhibere egentem
feminam cum pauperculo infante MA-
RIÆ & IESU paruuli amore velit, tantò
rectius aget; ac in partem illius conui-

vij rota creata & adoranda Trias ve-
niet. Addam, quod animos tibi addat,
idem opus tentandi. S Vincentius Fe-
rariensis miram de Mercatore Valen-
tino, viro Cælitibus admodum devo-
to historiam recenset; a è quâ præcla-
rum pietatis eius specimen deprehen-
das. Natali Redemptoris nostri die so-
litus est, egentem mulierem natum
brachijs circumferentem cum paupe-
re sene, qui matri ac puero comes iret,
ad prandium inuitare; idque IESU,
MARIE & IOSEPHO consecrabat.
Quod obsequium tam sanctâ inten-
tione illustratum tantopere Deo fuit
acceptum, vt, cum suprema ei horâ
immineret, tam pio mercatori digna-
tus sit IESVM, MARIAM & IOSEPHVM
videndum exhibere, à quibus verbis
omni melle dulcioribus fuit ad cæleste
conuiuium inuitatus: Amice! aiebant,
tot annis nos charitate tantâ in domo
tuâ excepisti: veni nunc, veni; & in
domum nostram, quæ sedes est felicis-
sima

¶ *Serm. de Natiu. Christi.*

lima Beatorum, lætus concede, vt nobiscum atque cum illis regno & supremâ voluptate potiaris, totâ æternitatẽ nunquam finiendis. Quis crederet, Deum tanto incremento minima sibi Diuisque suis exhibita officia remunerari? O vt tam Deo gratis cogitationibus essemus occupati! ô vt seu tantæ mercedis seu tantilli obsequij memores vitam exigeremus!

VI. Aliquam de virtutibus eius, aut capite mysteriõue ex eius vitâ meditationem instituere. Tempus huic rei maximè idoneum est matutinum ante vel post sumptam SS. Synaxin: pomeridianum verò adeundis vespers & concioni, si quidem habeatur, deputandum est. Quod meditationes, quibus quisque vtatur, concernit, eas Capite sequenti apponam, vbi octo meditationes pro Octiduo, quod est S. IOSEPHO sacrum, subtexam. Si quis nolit totâ Octauâ hoc exercitium meditandi prosequi, poterit semel primam, aut è cæteris vnã usurpare.